



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

XIII. An principium sentiendi sit in cerebro, an in code.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

CAPVT XIII.

Virum radix, & principium sentiendi sit in cerebro, an in corde.

sed permitteret tantum videntem falli, obiectum namque veram sui speciem diuinitus immitteret, videns autem seipsum falleret putando obiectum sibi adesse.

6. Tertia conclusio. Sensus aliquis interior potest naturaliter cognoscere rem absentem: patet experientia, nam est in nobis memoria rerum absentium, quæ non potest ad intellectum partem tantum referri, cum illa sit nobis, brutisque communis, recordatur enim bestia loci suæ habitationis, & viæ, per quam decurrerat, timet hominem, qui ipsam percusserat, vlciscitur de inimico, &c. de qua potentia memorandi infra dicemus, dicitur multa D. August. 10. confessionum, per varia capita.

7. Quarta conclusio. Illa sola potentia sensitiva cognoscit absens obiectum, quæ conseruat illius absentis species. Hæc conclusio contra Auicennam proponitur, qui officium conseruandi species, ac per illas obiecta absentia cognoscendi diuersis potentijs tribuebat: sed immerito. Primò, quia ipsa potentia elicit actum secundum, quæ constituta est in actu primo. Secundò, Nam si vna est potentia quæ cognoscit, & altera quæ conseruat speciem, vel illa cognoscit per speciem huius, vel per aliam: prius illud certe est impossibile, quia per talem speciem non actuatur, cumque species sit accidens, non potest migrare de subiecto suo in aliam potentiam. Posterius quoque dici non potest, quia ad cognoscendam rem absentem non datur noua speciei productio. Tertiò, potentia conseruans species potentia vitalis est, & perfectissima, atque adeo cognoscitiua: ergo & cætera. Tandem illa distinctio potentialium superflue fingitur: non ergo est admittenda. Hæc est sententia Aristotelis de memoria, & reminiscencia, in principio, vbi Diuus Thomas læt lectionibus 1. 2. & 3. prima parte, quæstion. 78. articul. 4. quæstione septuagesima nona, articul. sexto, ad 2. & 2. contra gentes, capit. 74. & Comment. alijque communiter.

8. Ad primum argumentum in principio, negatur differentia illa, nam cognitio abstractiua communis esse potest sensui, & intellectui. Ad secundum respondetur, sensum posse cognoscere præteritum in concreto, seu in actu exercito, considerando scilicet rem, quæ præterijt, non rationem formalem præteriti, sicut etiam percipit rem præsentem in actu exercito: considerare autem formaliter, & signatè temporum differentis proprium esse intellectus. Ad tertium dicito sensum etiam posse cognoscere res non existentes, si species illarum habeat, neque ob defectum existentie à genere sensibilium rerum extrahi, vt notum est. Interest tamen inter sensum, atque intellectum, quod hic præscindere valet existentiam rei, puramque essentiam considerare, non item sensus, qui semper concipit rem cum ordine ad existentiam vel præsentem, vel præteritam, vnde deceptio obrepit, concipiendo scilicet, vt existens, quod non existit, nisi intellectu corrigamur. Item cognoscet sensus interior rem præteritam, si loci, & temporis, in quo extitit, recorderetur: si verò apprehendat illam, vt existentem in loco alio, vel tempore, fallitur. Similiter imaginatio fingens res impossibiles, si illas apprehendat, vt existentes, errabit, si verò vt ficticias tantum, non errabit, quod tamen per se non valet, solusque intellectus errori medetur, vnde imaginatio sibi relicta semper fallitur in compositione impossibilium, sicut in somnijs ferè semper contingit.

DE obiectis, & actibus potentialium sensitivorum hætenus dictum est, sequitur vt de potentijs ipsis dicamus. Quæ namque de actibus dici poterat, an scilicet compositio, & diuisio in sensibus reperiatur, an possint priuationem cognoscere, an sensus debeat nudari ab omni natura sensibili, vt sensibilia obiecta percipere queant, an singularia tantum cognoscere possint, an sensibile super sensum causet sensationem: hæc, inquam, omnia explicata sunt præter vltima duo, ex quibus postremum opportunius deciditur cap. 27. à numer. 5. penultimum verò de se liquet, ac lib. 4. capite tertio, similem dubitationem tractantes de intellectu, de illa dicemus sufficienter: de actibus ergo & obiectis satis sint dicta: de potentia quoque ipsa sensitiva illud potissimè disputari solet, an sit actiua, vel passiua: eius solutio data est in capite quarto, vnde nihil dicendum superest de potentia sensitiva in communi, nisi quod propositum est. Obseruandum ergo: licet vna sit, eademque anima sensitiva, quæ per diuersos sensus diuersas operationes sentiendi exercet, eos tamen sensus pendere omnes à quadam præcipua parte corporis subministrante vim sentiendi per spiritus, vt vocant animales, quemadmodum in sequentibus exponemus, cuius rei ratio præter experientiam est debitus naturæ ordo, nam quando in vno composito reperiuntur virtutes eiusdem generis, reduci omnes debent ad vnum principium, à quo habeant originem, vt fit in virtute vegetatiua, & vitali, quæ radicatur in corde, vt libro 1. cap. 11. numer. 7. tractatum est: est ergo vna prima radix sentiendi, de qua inquirimus, in qua parte resideat.

Opinatur ergo Aristoteles in corde residere: ita habet 2. de generatione animalium, capite 4. & libro 5. cap. 2. & lib. 3. de partibus, cap. 3. & 4. de iuventute, & senectute, cap. 2. & 3. Rationes illius ex parte adduximus citato capite 11. libri superioris, vbi quæstionem similem de virtute vegetatiua discussimus. Ac præterea arguitur primò. Nam cor prius, quàm cerebrum generatur, vt etiam ibi diximus, & Galenus fatetur libr. de fetus formatione, tunc autem iam sensus nascitur in animali, cum iam palpitet: ergo in corde prima sentiendi radix existit. Secundò cor est principium membrorum ministrantium sensibus, sunt enim nerui duriusculi, conformes scilicet substantiæ cordis, quæ subdura, non verò cerebri, quæ mollior est, vt docet Aristoteles tertio de historia, cap. quinto, ergo, &c. Tertiò conueniens valde est, vt omnes vires animalis ad vnum primum principium, vt diximus, reducantur: nam hoc optima dispositio, ac rei natura postulat: tale autè principium solum cor posse esse videtur. Est siquidem in aptissimo loco constitutum, & calorem subministrat, & spiritus, quibus vniverse operationes animantis perficiuntur. Quartò dolor, & tristitia ipsam afficiunt: ibi ergo etiam sentiendi radix existit. Aristotelem sequitur Commentator 2. de partibus, capite septimo, & in collectaneis libro secundo, capit. 11. Auicenna fen. 1. primi, doctrina 6. capite 1. Apollinaris 2. de Anima, quæstion. 37. artic. 3. Tandem de somno, & vigilia, quæst. 9. Est tamen notandum, eundem Aristotelem c. 1. de sensu, & sensibili, contractius asseruisse radicem, scilicet trium sensuum auditus, visus, & olfactus, in cerebro esse, gustus autem, & tactus esse in corde, idemq. habet 2. de partibus, cap. 11. vbi videtur olfactum partim ad cor, partim ad cerebrum reducere, quod fortè hic inter-

Nota de obiectis actibus.

Notatio pro resolutione.

Aristoteles opinio in qua præposita.

Probatur 1.

2.

3.

4.

Cum Aristoteles, solo qui faciant.

Aristoteles, pugna contraria.

Opinio Galeni, D. Th. & aliorum.

3. In quo conueniat vtriusque opinio.

In quo differet.

4. Vera assertio variis experientis suadetur. Primo. Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Septimo.

Nota.

5. Cerebrum in sensu externis influere qui negent.

interpretandum, vt cor statuatur ab Aristotele principium commune influens in omnes sensus, in gustum quidem, & tactum immediate, in reliquos verò tres mediante cerebro, quod proinde eorum principium dicatur. Contrariam sententiam docuit Galen. 8. de vsu partium, cap. 3. & 4. & lib. 3. & 7. de placitis, sequitur Albertus lib. 2. de Anima, tractatu 4. cap. 11. Sanctus Thomas de veritate, quæst. 8. artic. 8. opusculo 43. a. 4. & 3. part. quæstion. 8. artic. 1. & 6. & quæstion. 66. artic. 7. ad tertium, & in 3. dist. 13. quæst. 1. artic. 1. ad tertium, citatur etiam Auicenna 6. naturalium, part. 4. c. 1.

Ad intelligentiam harum opinionum, notandum eas quidem conuenire, quod cerebrum habeat dependentiam nonnullam à corde, & cor à cerebro vicissim, cor enim transmittit spiritus vitales, ac calidos ad cerebrum per arterias, teste etiam Galeno libro 3. de placitis, in fine, cerebrum verò frigiditate sua moderatur calorem cordis, teste etiam Aristotele 2. de partibus, cap. 7. Differentia verò opinionum est, quod Aristoteles quidem putet neruos procedere à sensibus externis, & ad cor vsque, per illosque deferri, sensibiles species, ibique terminari cognitionem externam, eo quod sensus interior ibidem residet: vnde quinto de Generatione animalium, cap. 2. scribit ad cor terminari omnes sensorios meatus, & 2. de partibus, cap. 7. cerebrum nullam habere continuationem cum partibus, quæ vim sentiendi habent. At Galenus vult omnes vias, & vires sensitiuas in cerebro terminari, ibique esse internos sensus, vnde 1. de placitis, in principio, & lib. 2. in fine ait, cerebrum non pendere à corde in operando.

His positis sit conclusio. Initium, & radix sentiendi est in cerebro, & ab illo communicatur sensibus exterioribus. Probatur potissimè experientia. Primò enim constat ex anatomicis neruos illos, qui vie sunt per quas ministrantur spiritus animales, à cerebro oriri. Secundò constat læso cerebro priuari animalis sensum, & motum, quia scilicet tunc læditur animalis facultas: ergo signum est eam in cerebro residere. Tertiò cum infirmitas aliqua, seu vitium contingit in animali virtute, veluti si phantasia lædatur, medicamenta capiti apponuntur, non cordi, vt scitè notauit Galenus 3. lib. de locis patientibus, cap. 4. quod indicio est talem virtutem in cerebro morari. Quartò ex vehementi attentione lassatur, & dolet caput, non cor: illic ergo residet principium virtutis sentiendi. Quinto sensus interior in cerebro residet, vt infra dicemus, ac patet experientia: cum experiamur idola rerum in capite formari: ergo etiam ibi est prima radix huius virtutis. Sexto somnus est priuatio operationis primi sensorij, somnus autem in capite causatur: cor enim à sua operatione propter somnum minimè quiescit, vt etiam docet ipse Aristoteles lib. de respiratione, c. vltimo. Septimò cerebrum est in sublimi loco positum, nimirum, vt influere possit in omnes sensus: in illo ergo sublimis est virtus, & prima radix totius corporis. Sed est notandum in cerebro præter substantiam, quæ medulla dicitur, esse membranas, & neruos, ex substantia ipsa procedentes, virtutem verò potissimè residere in substantia, reliqua deservire ad illius conseruationem, & nutritionem, teste Galeno 7. de placitis, de quo legendus est Valles 2. controuersiarum, cap. 13.

Quærat iam aliquis quomodo cerebrum in omnes sensus influat: Nonnulli enim crediderunt, cerebrum nihil communicare sensibus externis, sed potius hos imprimere cerebro species rerum, ibique perfici sensationes vniuersas, visionem, auditionem, & c. ita videtur opinari Themistius 3. de Anima, & Portius lib. de dolore, cap. 13. Gregorius Nissenus 1. libro de viribus animæ, cap. 1. & Mari-

lius Ficinus in principio Theii: hoc ipsum tribuit Platon, idem tenet Manardus lib. 6. epistola vlt. sed oppositum sine dubio verum est, quod tradit Galenus 7. de placitis, cap. 15. & 1. de causis symptomatum, cap. 8. Nemelius de natura hominis, cap. 8. Fernelius lib. 6. Physiologia, cap. 10. Et ratio est, quoniam vnaquæque operatio in propria potentia, proprioque eius organo perficitur, vt visio in oculo, &c. Nam organa externorum sensuum non sunt superflua, sed ad sensitiuas facultates ordinata: ergo in illis sunt potentie sensitiuæ: ergo in his perficiuntur sensationes. Quod etiam experientia ipsa docet. Videndus est Vallesius 1. 2. controuersiarum, cap. 26.

Supposito ergo vniuersiusque sensus actionem propriam in proprio sensorio effici, dicendum superest quomodo hæc virtus à cerebro communicetur: quidam ergo aiunt non communicari per influentiam spirituum animalium. Primo, quoniam id fieri deberet instantaneè, spiritus autem non possunt in instanti transmitti. Secundo, quia si communicatio esset per influxum, planè transmissis semel illis spiritibus, quantus cerebrum repentè læderetur apoplexia, aliave causa, non illico vis sentiendi corrumpere, sed aliquantulum posset operari, dum scilicet spiritus illi non absumerentur: oppositum autem constat experientia: vnde aiunt virtutem hanc communicari illustratione quadam, id est, media qualitate intentionali & spiritali instantaneè diffusa, atque à cerebro, in hæreri, & conseruari dependente, proindeque læso cerebro statim corrumpi virtutem sentiendi. Ita Valles lib. 2. cap. 14. quod etiam tribuit Galeno 7. de placitis.

Hæc vero sententia non explicat, quod affirmat, quæ enim est illa qualitas spiritalis, aut quæ illustratio illa: nam si intelligat esse vere spiritualem, improbabile astitit, quia ea qualitas communicari nequit à materiali virtute, aut recipi parte materiali: si vero intelligat esse intentionalem & subtilem, (sic enim aliquando vsurpatur vox spiritalis, vt 1. p. q. 78. art. 3.) quæro an sit species aliqua sensitiua, necne: Primum dici non potest, quia cerebrum species non imprimit in sensus externos: si vero species sensitiua non est, cur intentionalis ponitur, atque vires conseruens ad sentiendum: Præterea talis qualitas fieri debet à sensu qualitate alia cerebri, in quo tamen inueniuntur tantum primarum qualitarum temperamentum, ac virtus sentiendi, ab his autem non potest fieri illa qualitas. Tandem illustratio illa obscurissima est, neque satis intelligitur, quidnam sit. Quæ proinde censio virtutem, de qua loquimur, communicari à cerebro per spiritus animales, fouendo scilicet organa sensuum, illaque conseruando in dispositione apta ad functiones suas, eosque spiritus pendere ab actuali influxu cerebri, ideoque obstructis vijs ad cerebrum sensum illico amitti. Fortasse etiam communicatur hæc virtus per modum attentionis, sensus namque operari non potest, nisi anima attendat, ea autem attentio ex imaginatiua pendet.

Sed quæres: quidnam sint eiusmodi spiritus, quotque eorum veritates: De quo satis disputant Fernelius 4. Physiologia, & Argenterius de somno, & vigilia, à cap. 5. Dico breuiter cum Galeno 6. de vsu partium, spiritus esse instar exhalationum calore cordis ex purissimo sanguine proceduntium, darique in rehiculum quo deferri citissimè possit calor naturalis, ac virtus principalium membrorum ad reliquas partes corporis: quam certè diffusionem calor citissimè fieri experimur. Porro spiritus ab Aristotele ponitur vnius tantum modi, quia vnum tantum principale membrum statuit, cuius sit veluti instrumentum spiritus.

SVAREZ
de Angelis, op.
re 6. d. 1. et
anima.

Tom. I. lib. I.
cap. I. d. 1. et
anima.

D. V. 2.

spiritus ipse : id quod potest colligi ex quinto de generatione animalium, capite ultimo, & ex libro de animalium motu in fine. Alij vero sicut cum Galeno ponunt tria membra principalia, tria genera spirituum distinguunt, nempe vitales, animales, & naturales: verum naturales spiritus superflue ponuntur, hepar enim per spiritum non influit, vt lib. 2. cap. 11. probauimus: duo ergo spirituum genera restant: vitalem, qui à corde sunt in arterijs, & animalium, qui sunt à cerebro ex ipsis forte spiritibus vitalibus attemperatis: inter hos autem spiritus non numerauimus spiritum plantatum in semine generationi deseruientem, quia nunc tantum agimus de spiritibus deseruientibus ad proprias actiones animalis obeundas.

Ad primum Aristotelis argumentum quidam respondent, quo tempore cor prius formatur, quam cerebrum, non habere sensum: sed hoc stare non potest, cum iam tunc habeat animam sensitiuam, vt supra diximus: ea vero anima absque tactu esse non potest, quare respondendum, habere tunc imperfectum tactum, consimilem illorum animalium: qui perfectam organizationem non vendicant: cum vero postea perfecta anima informatur, perfectiorem sortiri tactum, ideoque tunc influxum recipere à cerebro. Ad secundum: negandum antecedens: nerui enim ad cerebrum terminantur, vt experientia docet, & Galenus lib. de Placitis, cap. 8. sunt quippe conformes substantiæ cerebri, vt pote molles, &c. Ad tertium responsum est in l. 2. iterumque respondetur operationes eiusdem ordinis ad vnum principium reductioni, non tamen operationes diuersarum rationum, pertinentes scilicet ad diuersas virtutes principales. Ad quartum dicito illos actus pertinere ad appetitum sensitiuum, de cuius sede dicitur lib. 5. cap. 4.

Ex dictis colliges breuiter, quomodo per somnum cessent sensitiue operationes: ascendunt scilicet vapores calidi, atque humidi ab stomacho ad cerebrum cuius frigiditate densantur, ad modum quo vapores in regione aeris, & sicut vapores hi sepe impediunt illustrationem Solis, ita illi diffusioni spirituum animalium obstant, quæ fit à cerebro, vnde dicta cessatio ab operationibus consequitur, quæ est somnus. Accedit etiam, quod vapores illi densatione iam graues descendant, ac per totum corpus spargantur, illudque proinde pigrum reddat ineptum ad operationes. Qua de re Aristotel. de somno, & vigilia, c. 3. Titelmanus lib. 20. suæ physicae à capite decimonono vsque ad 22. Sicut autem sternutatio contingit ad excutendos vapores opprimentes cerebrum, ita pandiculatione ad depellendos, qui per totum corpus sparsi fuerant, eaque localis expulsio, atque exoneratio delectationem causat in tactu, qui in toto corpore residet. Et hæc de sensibus in communi præmissis sufficiat.

CAPVT XIV.

Quidnam sit lumen.

Dicendum sequitur de sensitiuis potentijs in speciali, ac primo de externis, de qua materia agit Aristoteles libro secundo de Anima, à capite septimo, vsque ad finem, estque tota philosophica, vnde Sanctus Thomas 1. p. q. 78. a. 3. de numero tantum externorum sensuum & collectione ipsius ex obiectis disputauit: nos vero totam doctrinam præsentis loco complectemur. Incipimus autem à principali sensu, nempe visu, cuius obiectum vel lumen est, vel certe per lumen completur, & ideo ab explicatione luminis ordimur. In proposita ergo questione fuit antiqua sententia, lumen secundum

dum se nihil esse præter ipsam coloris manifestationem, quæ sententia sua improbabilitate perijt, sæpe enim contingit videre nos lumen, non viso colore, quod fieri non posset, si vera ac realis entitas non esset: præterea si lumen colorem manifestat, aliquid sane esse debet, quoniam id, quod nihil est si realem effectum habere nequit. Alij ergo putarunt lumen esse corpus. Ita sentire videtur

Simplicius 2. de celo, commento suo 29. quod etiam aperte falsum est primo. Quia lumen in eodem loco est cum corpore illuminato, sicque daretur naturaliter penetratio. Secundo, lumen per totum hæmisphærium diffunditur in instanti, corpus autem ad motum localem requirit tempus satis perceptibile, cum hæmisphærii spatium sit satis magnum. Tertio quoniam tale corpus annihilari oporteret in absentia illuminantis, cum per eius absentiam nihil positum producat, nisi ex Manichæorum errore tenebras aliquid positum esse dixeris. Vrges, quod sectione 1. problemate 33. ait Aristoteles, vocem melius audiri nocte, quam die, eo quod aer densior sit interdum, vt pote refertus luce, ac radijs solaribus, quæ corpora esse dixeris. Hæc tamen verba asseritue non proferuntur, sed more inuelligantis: postea enim veram decisionem problematis assignat Philosophus. Videatur D. Thom. 1. p. quæst. 67. art. 2. Alia

fuit sententia lucem esse formam substantialem, sic solis, quam videtur tenere Philoponus in opere de mundi æternitate, contra Proclum, cap. 5. & 6. fallitur tamen, tum quia nulla substantia per se, sed per accidentia sentitur. Tum quia nulla etiam substantia immediate producit accidens in subiecto extraneo, cum tamen sol immediate per suam lucem producat lumen in aere, quod accidens illius est, cum ei in substantia constituto, aditque & absit absque nulla eius corruptione: tum etiam, quia alioqui duæ essent formæ substantiales in eodem aere luminoso, nec lux intendi in eo posset, nec remitti.

Ex quibus colligitur iam prima conclusio. Lumen est actus accidentalis ad prædicamentum 1. qualitatis pertinens. Prior pars patet ex dictis, quod lumen nec forma substantialis sit, nec corpus aliquod: est ergo forma accidentalis. Posterior inuadetur, tum quia in nullo alio prædicamento accidentium collocari potest. Tum quia habet modum afficiendi subiectum ab accidentibus alijs distinctum: tum denique quia est forma intensibilis, & remissibilis, ac per se primo sensibilis. Superest vero explicandum, cuiusmodi qualitas sit. Pro quo notandum ex Auicenna 6. naturalium, part. 3. cap. 2. & D. Thoma in 2. distinct. 13. artic. 3. & libro secundo de Anima, lectione 14. lucem, & lumen aqualiter distingui, lux enim dicitur qualitas lucens, prout est in fonte, seu corpore de se illuminante qualis lux Soli inherens, lumen vero illa qualitas, quæ in medio recipitur: diciturque præterea tum radius in quantum per lineam directam, vel reflexam vsque ad oculum tenditur: tum etiam splendor, præcipue quando huiusmodi lumen repercutitur ab aliquo corpore terfo, ac perpolitio. De luce igitur constat esse qualitatem illam quæ hæret torpori ex se lumen fundenti, in eoque proprium suum esse naturale retinere.

At de lumine non est omnium eadem sententia, nam Scotus in 2. d. 13. vult lumen habere tantum esse intentionale, ac debile non solum, quia in fieri, & est pendet à luce, sed quia etiam eius est quasi intentionalis species, similitudine repræsentans. Idem placuit Egido lib. 2. de Anima, tex. 76. dubio secundo, & tertio, Thienensi text. 71. Buridano questione decima septima, Alsiano in questionibus perspectiue. Fundamentum asserunt, quod lumen habeat effectus omnes, & proprietates

1. Opinio

reducitur.

Obiectio ex Aristotele

Tertia opinio falsa.

2. Assertio bipartita.

Lux, lumen, radius, splendor, in quo differant.

3. De lumine opinio Scoti & aliorum.

Eius fundam. proprietates

Franc. Suarez de Anima.

M